

De Aeschyli Oedipodea.

(Spec. II.)

Postquam in ea disputatione, quae annalibus gymnasii Novesiensis anni MDCCLXIII praemissa est, de universa Oedipodeae Aeschyleae natura ita disputavi, ut eius trilogiae indicia ac vestigia, quae plurima per fabulam Septem ad Thebas dispersa apparent, indagarem atque illustrarem, nunc quum similem nactus sim de eadem re disserendi occasionem, alteram eius disputationis partem, in qua quaeritur, quid statuendum sit de fabularum eius trilogiae deperditarum argumentis, adiungere placet.

Ea quaestio non una de causa magnis implicata est difficultatibus. Nam primum facile intelligitur, rem esse dubiam multique laboris, ex paucis iisque non raro obscuris vestigiis, quae in superstite trilogiae fabula lateant, coniecturam facere de ceterarum fabularum argumentis ac dispositionibus. Deinde tota fere nostra disputatio posita est in interpretatione singulorum quorundam locorum, qui aut aperte mendosi ac nondum persanati sunt aut propter obscuritatem perambiguam habent explicationem. Denique etiam hoc summopere cavendum est, ne omnia, quae Sophocles aut Euripides aliusve poeta tragicus de Labdacidarum fatis composuerint, etiam ab Aeschylō scribi debuisse vel potuisse existimemus. Qua in re parum caute egisse videmus complures viros de mythorum pervestigatione optime meritos, qui, quum non satis considerarent, tragicos multum sibi indulgisse in mutandis conformandisque fabulis diversumque secutos esse consilium in componendis eiusdem argumenti tragoediis, ex magna narrationum mythicarum copia non raro eas Aeschylō obtruderent, quae ab eius ingenio poetico prorsus abhorrerent.

Quum igitur vetustiora illa carmina epica, veluti Hesiodi, Cinaethonis aliorum, ex quibus Aeschylus ceterique tragici poetae fabularum argumenta hauserunt, temporum iniuria interciderint, nec scriptorum, qui eiusdem aetatis erant, Hellanici et Pherecydis ulla supersint testimonia, res iam eo deducta est, ut ad poetae potissimum verba dictaque tanquam ad fontem largas aquas emittentem cursum disputationis nostrae deflectere cogamur atque hoc uno praesidio adiuti, quid de ceterarum fabularum argumentis statui possit, quaeramus. Sed ne plus ea in re polliceri videamur, quam cui perficiendo pares simus, hoc est praemonendum, hanc nostram quaestionem non id agere, ut totam deperditarum fabularum oeconomiam quam vocant, coniciendo colligendoque quasi refingamus, sed satis nos habere, summam rerum, quas in iis expositas fuisse probabile sit, adumbrasse quibusque finibus earum argumenta circumscripta et qua ratione a poeta tractata fuerint, constituisse. Ordiamur a Laio tragoedia. De eius fabulae argumento qui disputare vult, ei proficiscendum est a stasimi secundi antistropha β' et stropa γ', in quibus haud obscura eius vestigia deprehenduntur. Laio, quum diu liberis caruisset, ter oraculum datum est, si se et civitatem salvam esse vellet, liberos ne gigneret, ille vero „per uxoris amorem perverso irretitus consilio“ filium procreavit deo invito. Verba poetae, quorum interpretationem nisi fallor veram praemisi, sunt haec: (v. 723. sequ.)

Παλαιγενῆ γὰρ λέγω

παρβασίαν ἀπόποινον

αἰῶνα δ' ἔς τρίτον μένει,

Ἀπόλλωνος εἶτε Λαίος
βία τοῖς εἰπόντος ἐν
μεσομαρταίοις Πυθικοῖς
χρησθητοῖς, θνάσκοντα γεν-
νας ἄτερ σῶζειν πόλιν,
κρατηθεῖς δ' ἐκ φίλων ἀβουλίαις
ἐγείνατο. κ. τ. λ.

Jam primum quaeritur, quid causae fuisse significare voluerit poeta, quod Laius posthabitis oraculorum monitis genuerit Oedipum. Habes Aeschyli sententiam paullo obscurius indicatam his verbis. (v. 731.)

κρατηθεῖς δ' ἐκ φίλων ἀβουλίαις.

Jam scholia plures eorum verborum interpretationes propositas fuisse docent. Ac primum in iis, quae codicis Medicei margines obtinent, scholiis veteribus tres reperiuntur interpretationes, quarum prima ad v. 731 haec est: φίλων) οἷς ἐκινώσατο τὸν χρησμὸν, secunda ad v. 726 haec: ὑπὸ τῶν ἡδονῶν αὐτοῦ κατακρατηθεῖς συνήλθε τῇ Ἰουκάστῃ τὸ δὲ ἐξῆς, εἶτε Λαίος κρατηθεῖς ὑπὸ τῶν αὐτῶ φίλων ἡδονῶν, tertia denique ad eundem versum adumbrata est his verbis: ἐπὶ τοῦ τῆς γυναικὸς. Quae vero in Byzantinorum scholorum farragine exhibentur eius loci explicationes, vel nullis factis mutationibus ex Mediceo translatae vel leviter mutatae et additamentis parum prudenter excogitatis interpolatae sunt. Primam illam scholiastae codicis Medicei interpretationem, in qua is cogitat de perversis amicorum consiliis, secuti sunt Abreschius, Schuetzius, Schwenckius, Fr. Paleius, Schneidewinus (Phil. III, p. 351.), qui vero eam sententiam anno post retractavit. (Ödt. gef. Anzeigen, 1850 p. 171.). Sed quantum equidem in hac re perspicio, longe illi a vera huius loci ratione aberraverunt, neque dubito, quin ea interpretatio, quam tertiam supra e codice Mediceo transscripsi, sola vim verborum poetae sit assecuta, atque eo magis adducor, ut ita sentiam, quod plerique recentiorum interpretum God. Hermannus, Lud. Schmidtus (Zeitschrift für Alterthumswissenschaft, 1855 p. 389.), Susemihlius (Zahn's Jahrb. 1855, 12 p. 750.), Krusius (de Oedip. Aesch. p. 31.) eandem explicationem praeferendam esse duxerunt. Verum cur ita statuendum sit, partim ex linguae legibus et natura sermonis poetici, partim ex re ipsa intelligitur. Poetae verba, in quibus nihil est, quod non recte sit et more Graecorum dictum, sublata vitiosa distinctione post φίλων, qua totius loci sententia misere perturbatur, ita sunt construenda: κρατηθεῖς ταῖς ἀβουλίαις ταῖς ἐκ τῶν φίλων ἢ. ε. παραγενομέναις. Ac primum quidem articuli omissio in scriptore brevissimo et φιλομήρη nihil habet offensionis, deinde τὰ φίλα generis neutrius pro γυνή usurpatum minime abhorre a sermonis poetici consuetudine, similibus exemplis, quae plurima exstant apud tragicos, potest comprobari. Jam si rem ipsam spectes, Hermannus recte docuit, ab antiquis nihil traditum esse de perversis istis amicorum consiliis. Quid, quod Laii conditio etiam postulare videtur, ut eum nulla alia causa, quam immoderata uxoris libidine in summum discrimen adductum esse poeta fingat? Est enim naturae consentaneum, regem voluptatibus deditum et prolis cupidissimum, qui eam ipsam ob causam ter oraculum adisset, non potuisse resistere Jocastae illecebris (Schol. Med: κρείσσο γὰρ τὰ πάθη τῶν λογισμῶν). Ac magnam istam libidinis vim, quae Laium, quamquam diu repugnantem a pia oraculorum reverentia avocare potuerit, Aeschylus non sine gravitate quadam voce κρατηθεῖς significare voluisse videtur. Accedit, quod etiam Euripidis verba, quae Laium libidini cedentem et vino stimulatam (Phoen. 21: ἡδονῇ δοὺς εἶστε βαλχεῖον πεσόν.) illa contempsisse oracula testantur, nonnihil faciunt ad confirmandam nostram interpretationem. Denique non est praetereundum, quod praeclare observavit Krusius, (l. c. p. 33.) Jocastae quoque, quae tam graves poenas atque adeo Laii maiores et ipsa luat, aliquam culpae partem imputandam fuisse.—

Sed mittamus hanc quaestionem et transeamus ad aliam multo difficiliorem ad diiudicandum. Quaeritur enim a viris doctis, utrum Aeschylus in Laii tragoedia Labdacidarum calamitatum causam et originem a neglecta

illa oraculorum auctoritate an altius repetens a Pelopis duxerit imprecationibus. Ex iis, qui hanc rem attigerunt, Schneidewinus, (Phil. III, p. 351.) Lud. Schmidtus, (Zeitschr. für Alt.-Wiss. 1856. p. 390 ff.) et Prellerus (Zahn's Jahrb. 1853, p. 73.) illam de raptu Chrysippo narrationem ab Aeschylō in Laio componenda adhibitam esse negant; prorsus aliter iudicant Sterkius (de Labdac. hist. p. 46.), Welckerus (de tril. p. 354.), Hermannus (in annot. ad v. 833.), Nitzschius (Sagenpoesie p. 506—511.) Krusius (l. c.), Susemihlius (Zahn's Jahrb. 1855, 12 p. 745. Zeitschr. f. Alt.-Wiss. 1857. p. 100 sq.), Schoemannus (Zahn's Jahrb. 1854, 2.) alii.—

Qua in controversia dirimenda omnium primum id firmiter tenendum est, in fabula Septem vestigia antiquioris illius execrationis nulla reperiri, neque in aliis fabulae partibus neque in eo loco, ubi eam commemorari non modo aptum verum etiam necessarium fuisse videtur. Etenim in illo cantico, quo chorus malorum seriem, quae Labdacidis acciderint, paucis adumbrat, eorum causam et originem ducit non a scelere contra Chrysippum commisso Pelopisque imprecatione, sed a temerario Laii oraculorum contemptu; etiam in reliquis tragoediae locis, in quibus *πρωτάρχον ἄτης* mentio fit, ea ponitur in Laii temeritate, qui gravissima oraculi monita neglexerit (vv. 783, 822.) Est haec illa *παράκοή τοῦ Ἀπόλλωνος*, ad quam etiam in scholiis malorum omnium causa refertur. (Dind. schol. Aesch. p. 384.) Unus relinquatur locus, ex quo liceat cōiicere Aeschylum Labdacidarum calamitates repetisse a Pelopis imprecatione; is exstat in verbis chori: (v. 812 sq.)

ὦ μέλαινα καὶ τελεία
γένεος Οἰδίπου τ' ἄρά.

quo loco miror neminem eorum, qui in Laio de Chrysippi raptu actum fuisse statuerunt, ad firmandam eam opinionem esse usos. Jam Brunckius, qui etiam Hermanni assensum tulit, duas imprecationes intelligendas esse censet, unam, qua olim universum Labdacidarum genus devotum fuerit, alteram, quam Oedipus filiis dixerit. Sed meminerimus oportet speciosam istam interpretationem totam pendere ex vocula *τέ*, cuius fides, si codicum scripturas excusseris, valde dubia est et incerta; nam in Robortelli codicibus ea coniunctio videtur defuisse, Lipsiensis eam exhibet post *γένεος*, in utroque Cantabrigiensi *γέ* in eius locum substitutum est, in Parisiensi adeo adscriptum legimus *τὸ τὲ παρέλκει*. Accedit, quod ex scholiastae codicis Medicei interpretatione *καὶ τελομένη ἐπὶ τῶ γενεῖ τοῦ Οἰδίποδος ἄρά*, quae sine dubio ad lectionem prorsus diversam spectat, iure meo colligere mihi videor, vocabulum *τέ* post graviorem demum eius loci corruptionem hiatus vitandi gratia a librariis esse invecum. Tum etiam, si totam illius carminis conformationem consideraveris, vix tibi persuadebis, poetam iam in strophae *α'* initio de altiore aliqua malorum causa mentionem facere voluisse; nam mihi quidem videtur Aeschylus calamitatum originem duabus in strophis ita adumbrasse, ut in strophā *α'* tanquam revertens ad chori verba: (v. 771.) *νῦν δὲ τρέω, μὴ τελέσῃ κενυρίπους Ἐρινός*, tantummodo Oedipi diras commemoret, in antistrophā *α'* vero etiam ad altiorem earum causam recurrat. Ergo, si res, ut par est, ex ipsius poetae verbis diiudicari debet, non sunt audiendi ii, qui in Laio tragoedia omnem Labdacidarum culpam a foedo isto Chrysippi raptu tanquam e primo fonte ductam esse statuunt. Etenim ut verum sit, quod non modo non certum sed ne probabile quidem est, in antiquioribus illis carminibus epicis, ex quibus Aeschylus fabularum argumenta hauserit velut in Cinaethonis Oedipodea et Thebaide cyclica iam expositum fuisse de *ἀφθροφθορία*, tamen nullis idoneis rationibus ex poeta ipso petitis adducimur, ut poetam ad altiorem mythis Thebani fontem regressum esse existimemus. Susemihlio autem (Zahn's Jahrb. l. c.), qui in chori cantico saepius laudato Pelopis execrationem praeteriri potuisse putat, vereor, ut multi adstipulentur, si quidem prorsus incredibile est, gravissimam primae fabulae partem, in qua posita fuerit ἡ *πρωτάρχος ἄτης*, ne verbo quidem a poeta fuisse indicatam.

Neque vero illa Krusii ratio, qua *Ἥρην γαμοστόλον* tanquam alteram malorum causam Labdacidis extitisse statuit, ferenda est quum alias ob causas tum propterea, quod Aeschylum non probabile est rem

ita instituisse, ut duo numina de eodem Laio vindictam sumerent Apollo propter neglectam oraculorum auctoritatem Juno propter vetus illud regis delictum, immo, quod quidem ex Septem fabula concludere liceat, omnia redeunt ad *θέσφατα* illa *οὐκ ἀμβλυόμενα* (v. 824.) *καὶ καρπὸν ἐξάγοντα*, (v. 599), quorum solus vindex est Apollo. Quae quum ita sint, nec loci illi Athenaei (XIII, 601. A, 602 E.) aut Platonis (symp. 180 A.), qui testantur in Aeschyli fabulis passim *ἀλλεγοφορίας* mentionem esse factam nec fragmentum Pseudo-Pisandri, quo Krusius et, qui eum secuti sunt, sententiam suam stabilire studuerunt, mihi quidem tantam vim habere videntur, unde Schneidewini sententia possit labefactari. His de quaestione, ut ita dicam, primaria praemissis transeamus ad singula poetae dicta accuratius examinanda et primum quidem videamus, quid statuendum sit de oraculo Apollinis ter repetito. Audivi Boeckhium virum clarissimum in scholis publicis versum 726 ita explicuisse, ut quasi per quamdam „cogitationis attractionem“ propter praegressum *αἶῶνα δ' ἐς τρίτον μῆνει* tria oracula ab Aeschylō efficta esse sumeret, quod idem statuere videtur scholiasta Byzantinus, qui *τρῖς* per *πολλὰς* interpretatur. At, ut ingenue profitear, quid sentiam, ab hoc quidem cantico, in quo brevissimus esse debeat poeta, prorsus alienae sunt eiusmodi sententiarum subtilitates. Ea vero, quae Krusius Welckeri vestigiis insistens (Ἐπιτῆ. Ἐγκύκλιος II. p. 315. 318.) excogitavit de tribus diversis oraculis, quorum unum altero gravius fuerit, quantumvis Sussemihlio arrideant, mihi quidem nunquam probabuntur, quum nullum habeant praesidium in poetae verbis, ex quibus satis patet idem oraculum *θυήσκοντα γέννας ἄτερ σάξεν πόλιν* a deo Pythio ter esse datum. Accedit, quod, si Krusii suspicionem veram esse ponimus, nullam idoneam causam proferre poterimus, cur chorus primum oraculum proponere maluerit, quam tertium prioribus multo gravius atque apertius. Nuper Sussemihlius (Noch einmal die Oedipus-Trilogie des Aeschylus: Zeitschr. für Alterth.-Wiss. 1857. p. 100 fg.) Krusii coniecturam denuo defendere conatus est, quum diceret a choro propterea primi oraculi mentionem esse factam, quod eo necessitudo quaedam, quae intercederet inter urbis salutem et Labdacidarum fata, significata esset; at prorsus nihil est, cur idem ceteris oraculis praedictum fuisse negemus.— Haec fere sunt, quae de priore Laii tragoediae parte ex ipsius poetae verbis statui posse videntur, cetera qua ratione Aeschylus exposuerit, quum testimoniis aliorum scriptorum plane destitutus, vix divinando assequi possumus, quamquam integrum est de universa tragoediae dispositione proferre coniecturas, quae aliquam veri speciem habeant. Qua in re si quis imprimis Sophoclem, ut qui de Oedipi historia tragoedias composuerit et ad totam Aeschyleae artis rationem propius accedat, quam recentiores tragici Euripides et Seneca, tanquam optimum ducem sequendum esse censet, caveat, ne nimis vestigia eius legens in magnos inducatur errores. Hoc certe in universum conicere licet, Laii actionem eo usque deductam fuisse, unde Sophoclis Oedipus Rex incipiat, et fabulae Aeschyleae dispositionem cum aliqua probabilitate sic fere posse adumbrari: Postquam in priore tragoediae parte actum est de tribus vaticiniis Laii praedicta morte ad finem productis, in altera expositum esse oportebat de Oedipo ter felici, qui, quamquam caede patris erat pollutus, Sphingis aenigmate soluto Thebarum regnum accepit matremque Jocastam uxorem duxit; tum laeta eiusdem regis fortuna a choro videtur magnifice celebrata, ad quam aperte respicit antistropha δ' (v. 753-759)

*τί' ἀνδρῶν γὰρ τοσόνδ' ἐθαύμασαν
θεοὶ καὶ ξυνέστοι πόλεος, ὃ
πολύβοτὸς ἔ αἰὼν βροτῶν,
ὅσον τότε Οἰδίπουν τιόν,
τὰν ἀρπαξάνδραν
κἤρ' ἀφελόντα χάρας;*

Profecto quid in subita illa rerum commutatione, quae mox eventura erat, aptius iustiusque esse poterat ad animos audientium commovendos laude illa, qua chorus singularem ac paene divinam Oedipi, qui Sphingis aenigma intellexisset, sagacitatem efferebat. Ac nescio an chorus aliquid mali praesagiens in fabulae exodo

significaverit timendum esse, ne mox eventum habeat vetus illud dictum (*τριγέρων μῦθος*), quod etiam in Agamemnone commemoratur (v. 722):

πρόπρῦμα δ' ἐκβολὰν φέρει
ἀνδρῶν ἀλφιστᾶν
ὄλβος ἄγαν παχυνθεῖς.

Reliquum est, ut videamus, si quid lucrem ex „disiectis poetae membris,“ quae perpauca sunt et ita comparata, ut non multum iis proficere videamur ad Aeschyli fabulam cognoscendam; unum superest fragmentum, quod uberioris disputationis materiem praebere possit.— Lais, quum Apollinis monita contempsisset, deorum providentiam humanis vinci posse consiliis ratus, ne fieret facinus illud praedictum sibi, filium recens natum exponi in Cytherone iussit. Eo spectat fragmentum fabulae Aeschyleae, quod exstat apud scholiastam Aristophanis ad Vesp. 288 in codice Veneto: *ἐγχετριεῖς, ἀπὸ τῶν ἐκτιθεμένων παιδῶν ἐν χύτραις, διὰ καὶ Σοφοκλῆς ἀποκτεῖναι χυτρίζειν* *ἔλεγεν ἐν Πριάμῳ καὶ Αἰσχύλος Λαῖῳ* (sic Hermannus recte posuit pro *Λαῖῳ*) *καὶ Φερεκράτης*. Deinde quod fragmentum Clemens Alexandrinus (Strom. II, 15 p. 462) scriptoris nomine non addito affert: *ὁ μὲν γὰρ Λαῖος ἐκείνος ἀτακτῶς τὴν τραγωδίαν φησίν.*

ἔληθε δ' οὐδὲν τῶνδ' ἐμ' ὄν σὺ νοουθετεῖς,
γνώμην δ' ἔχοντά μ' ἢ φύσις βιάζεται

utrum ex Aeschyli Laio, an ex recentiore aliquo tragico sumptum sit, iam diiudicari nequit; haud improbabiler vero coniecit F. G. Wagnerus (Poet. trag. fragm. II. fr. 829, 830.), hos versus ex Euripidis Chrysippo esse ductos. Falso certe ad Aeschyli tragoediam relatum est fragmentum (No. 406 ed. Herm.), quod foede corruptum apud Harpocrationem sub voce *μαλακίζομεν* sic legitur: *Αἰσχύλος ἑλλαδίῳ κεκμητο μαλκίων ποδί*. Venio ad fragmentum longe gravissimum, quod non nominata fabula scholiasta Sophoclis ad Oedipum Regem (v. 733) ex Aeschilo petiit: *περὶ Λαυλῖδα φησὶ τὴν σχιστὴν ὁδὸν ὃ δὲ Αἰσχύλος περὶ Ποτνιας οὕτως.*

ἔπῃμεν τῆς ὁδοῦ τροχίλατον
σχιστῆς κελεύθου τρίοδον, ἐνθα συμβολὰς
τριῶν κελεύθων Ποτνιαδων ἡμείβομεν.

Non est dubitandum, quin verum viderit Valckenarius (Phoen. v. 38.), qui haec verba in Aeschyli Laio vel Oedipo scripta fuisse suspicatur. Quum enim apud Sophoclem agatur de Oedipo cum Laio concurrente, non potuit non respicere interpres ille ad fabulam Aeschyleam eiusdem argumenti. Hoc igitur testimonio efficitur, in Aeschyli tragoedia Laium non in illa Phocidis *σχιστῆ* obvium factum esse Oedipo, sed in angustiis propter Potnias, quo in vico Erinyas *χθονίους* in magno honore habitas fuisse compertum habemus. (cf. Od. Mueller. Eum. 171; Schneidewin. die Sage von Oedipus p. 25.) Verum non modo hoc fragmento probabile fit, Laium inter Thebas et Cytheronem esse necatum, sed etiam narratione scholiastae ad Eur. Phoen. 1760, qui perhibet, Oedipum cum Jocasta ad Cytheronem proficiscentem trivio illo admonitum esse caedis illic quondam ab eo perpetratae. In eandem denique sententiam perducit nos, quod Apollodorus (3, 5, 8) et Pausanias (10, 5, 2) referunt, Laium a Damasistrato, Plataearum rege humatum esse dici. Jam vero facile intelligitur, non potuisse fieri, ut Oedipus prope Potnias cum Laio ad Cytheronem proficiscente concurreret, si ille, ut vulgo traditur, Delphis redux iter Thebas deflexit, ne admitteret scelera ipsi a deo praedicta. Quae quum ita sint, ponendum est Oedipum accepto oraculo non Thebas se contulisse, sed Corinthum vel Sicyonem reversum aliquanto post in itinere per Boeotiam facto patri ad Cytheronem proficiscenti obviam venisse. Atqui, si rem ita sese habere statuimus, difficile sane est, causam invenire, cur Oedipus postea Thebas profectus sit. Quamquam fuerunt, qui speciose dicerent, Aeschylum hac in re ex antiquiore fonte hausisse et a Sophocle demum Oedipoda Thebas piaculi vitandi causa profectum esse fingi eo consilio, ut in tanta eum scelera immeritum incidisse appareat. Altera vero difficultas in eo cernitur, quod non satis

patet, cur Laius iter ingressus sit ad Cytheronem. Qua de re si Schneidewinum audimus, ad Boeotiae oraculum aut ad ludos celebrandos Laius se contulisse putandus est, Susemihlius eum iter illud suscepisse ait, ut Junoni *γαμοστόλω* piaculare faceret, Krusius denique, ut Erinyas illic placaret vel de filii sorte certior fieret. Sed huius quidem commemoranda est inconstantia; quum enim scholio illi ad Phoen. 1760, quod Pisandri cuiusdam narrationem habet, in adumbranda Laii fabulae dispositione multum tribuerit, hac in re eundem ducem deseruit. Scholiasta enim refert haec: *Τότε μὲν οὖν ὁ Τειρεσίας, ὡς μάντις ἰδὼν, ὅτι θεοσύνητος ἦν ὁ Λαῖος, ἀπέτρεπεν αὐτὸν (avertere conabatur) τῆς ἐπὶ τὸν Απόλλωνα ὁδοῦ, τῇ δὲ Ἥρῃ μᾶλλον τῇ γαμοστόλῳ θεῶν θύειν ἱερά. ὁ δὲ αὐτὸν ἐξεφάλλιζεν. Ἀπελθὼν τοίνυν ἐφρονεῖσθαι ἐν τῇ σχιστῇ κ. τ. λ.* Unde quum appareat, Pisandri verbis Laium neglecto Tiresiae consilio Delphos proficiscentem in Phocidis trivio necatum esse tradi, nonne sequitur, poetae istius epici narrationem valde pugnare cum Aeschyli fragmento, quod supra laudavimus, quo teste compertum habemus caedem regis prope Potnias esse factam? Quae si recte disputavi, nemo non videbit falli Krusium, qui in scholio isto vera fabulae Aeschyleae vestigia repperisse sibi videatur. Sed haec hactenus.

Sequitur deinceps, ut mediam trilogiae fabulam adumbratam informemus, cuius fabulae ambitum atque fines facilius videntur describi posse propterea, quod non modo de tertiae tragoediae argumento, quale sit, satis constat, verum etiam ex iis, quae supra cum aliqua probabilitate demonstravimus, intellectum est, quo usque Laii actio fuerit deducta. Ac primum quidem non potest dubitari, quin secundae fabulae argumentum exorsum sit ex cognitione generis; quae qua ratione a poeta instituta fuerit utrum per Tiresiam vatem, quem gravem certe severamque personam in hac tragoedia sustinuisse ex eo apparet, quod in Septem (v. 24.) simpliciter *ὁ μάντις* vocatur, an comitis cuiusdam regis caedi superstitis testimonio, an denique nocturnis visis Laii, quibus Senecam usum esse constat (cf. Schneidewin, Phil. III, p. 334, Gruppe, Ariadne, p. 588, 716.), non iam certa coniectura assequi poterimus; illud vero ipsius poetae verba diserte testantur, Oedipum non repente, sed sensim atque gradatim eo fuisse perductum, ut se et parricidii et incestus sontem esse intelligeret. Eo spectant chori verba in stropha ε' (v. 759 sq.):

ἐπεὶ δ' ἀρτίφρων

ἐγένετο μέλεος ἀθλίων

γάμων, κ. τ. λ.

quae sic vertenda sunt: sed quum primum omni ex parte sibi conscius factus est infausti coniugii, sobald er zum Bewußtsein seiner Gräueltathe gekommen war. Quis est, quin videat, totam vim huius loci positam esse in voce *ἀρτίφρων*, quam scholiasta codicis Medicei et qui eum secuti sunt interpretes, Blomfieldius, Wellauerus, Hartungius male explicant per *ἔμφρων*? Ac recte iam Schneidewinus (l. c.) consentientibus ceteris, qui hac de re egerunt, docuit, apud Aeschylum parricidium et nefandas nuptias, ex quo prima innotescerent indicia, breviori tempore patefacta fuisse, quam apud Sophoclem, qui singulari artificio, ut spectantium animos inter spem metumque suspensos teneret, malorum *ἀναγνώρισις* per longum temporis spatium duxisset. Qua in re Aeschylum vel ideo brevioris esse oportebat, quod mediae fabulae argumentum multo latius patebat, si quidem non modo ad Oedipi excaecationem vel mortem, ut F. W. Wagnerus suspicatur, (Fr. I. p. 84.) sed etiam ad Polynicis exsilium deductum fuit.

Jam vero ut pergamus investigare Oedipi argumentum, redeundum nobis est ad chori verba, quae duabus ultimis stasimi secundi strophis continentur, valde illa impedita propter grandiloquam poetae brevitatem atque ita male affecta, ut sine temeritatis nota ad correctiones confugere liceat. Subiiciam poetae verba ex recensione Hermanni:

στρ. ε'. ἐπεὶ δ' ἀρτίφρων

ἐγένετο μέλεος ἀθλίων

γάμων, ἐπ' ἄλγει δυσφορῶν
 μαινομένα καρδίᾳ
 δίδυμα καὶ ἐτέλεσεν
 πατροφόνῳ χειρὶ τῶν
 κρησοτέκνων ὀμμάτων ἐπλάγχθη.

ἀντ. ε'. τέκνοισιν δ' ἄρᾳς
 ἐφῆκεν ἐπικότους τροφᾶς
 καὶ, πικρογλώσσους ἄρᾳς,
 καὶ σε σιδαρονόμῳ
 διὰ χειρὶ ποτε λαχεῖν
 κτήματα· νῦν δὲ τρέω,
 μὴ τελέσῃ καμψίπους Ἐρινός.

Oedipus, simulac de stirpe edoctus piacula sua cognovit, se ipse oculis privavit atque filiis imprecatus est, fore ut aliquando armata manu patrimonium inter se dividerent; ita, ut ipsius poetae verbis utar, *δίδυμα καὶ ἐτέλεσεν*. Non est audiendus scholiasta, qui duplex illud malum ad solam excaecationem refert: *ἔν γὰρ κακόν, τὸ ἐνὸς στέρηθῆναι, δύο δὲ τὸ ἀμφοτέρων*. Alterum enim aperte positum est in oculis effossis, alterum in diris, quibus pater filios persequitur; utrumque vero malum eodem tempore factum esse dici, ex universa loci ratione patet. Namque orationis tenore, quem vocant, singulisque poetae verbis diligenter examinatis, nemo, opinor, poterit non intelligere, Oedipum statim, ut patrem a se occisum matremque coniugis loco habitam cognovit, furem dolore (*μαινομένα καρδίᾳ, ἐπ' ἄλγει δυσφορῶν*, in versu 706 Oedipus nominatur *βλαψίφρων*.) et oculos sibi effodisse et filios, quos educasse cum poeniteret (*ἐφῆκεν ἄρᾳς ἐπικότους τροφᾶς*, ἐπλάγχθη „κρησοτέκνων“ ὀμμάτων), mutuae caedi devovisse. Haec interpretatio, quam primum ab G. Hermanno (de tril. p. 15.) propositam plerique recentiorum interpretum, G. Dindorfius (annot. I. p. 205.) Prienius (Zahn's Jahrb. 1853. 7. p. 17.) Susemihlius, Schmidtus, alii secuti sunt, duabus nititur elegantissimis emendationibus, quarum altera *ἐπικότους τροφᾶς* iam in codice Parisino B et in scholiis adscripta a Brunckio commendata et a Schuetzio in verborum ordinem recepta est, altera *κρησοτέκνων* Hermanno debetur. Jam quum hodie fere nemo dubitet, quin viri illi de Aeschylō optime meriti poetae verba pristino suo nitori reddiderint, reliquas virorum eruditorum coniecturas, quarum in numero Stanlei illud *κρησοτέκνων* ingeniose excogitatum honoris causa nomino, a me silentio praeteriri satis excusationis habiturum esse confido. Itidem vix operae pretium est, perstringere ineptias eorum, qui vulgatam lectionem *κρησοτέκνων* tueri conati sunt, sed frustra (cf. Warrens, de Aesch. Septem et Eurip. Phoen. p. 58 sq.). Statuerunt illi ad unum fere omnes, haec duo esse mala ab Oedipo perpetrata, alterum, quod voluntarium sibi exsilium imposuisset vel saltem ex hominum oculis recessisset, alterum, quod filios diris devovisset. At haec interpretatio valde impedita est, neque quicquam certius videtur, quam nemini eam Graecorum in mentem venturam fuisse. Nam qua ratione illud *πατροφόνῳ χειρὶ* ad utrumque malum, tam ad voluntarium exsilium, quam ad diras, quas filiis immiserat, trahi potuerit, equidem non assequor; illa autem interpretatio verborum *δίδυμα καὶ ἐτέλεσεν* talis videtur esse, ut vix divinando quis in eam possit incidere; etenim luce ipsa clarior est, Oedipum voluntarium exsilium sibi imponentem non apte dici *κακὸν τελέσαι*, ut taceam de perambigua ac paene temeraria explicatione vocabuli „κρησοτέκνων“ quod ne graecum quidem et haud dubie a grammatico aliquo procusum est. Nam sive ὀμματα κρησοτέκνω cum Schuetzio interpretamur „potentiorum liberorum oculi sive,“ quod quibusdam placuisse miror propter absurdissimam comparisonem „oculi, qui magis amantur, quam ipsi liberi,“ omnes spero mihi assensuros, nullam omnino sententiam, quae quidem huic loco conveniat, ex his verbis extundi posse. Tum non debeo praetermittere, in magno eos versari errore, qui

narrationem de Oedipo in exsilium eunte a Sophocle demum inventam aut Euripidis commentum illud de rege aedibus incluso, cuius ne vestigium quidem in Septem fabula exstat, Aeschylō quamvis invito velint obtrudere. Qui vero Oedipi excaecationem omnino ab Aeschylō tragoedia afuisse inde coniecerunt, quod in Septem fabula nullum aliud eius rei vestigium inveniretur, vellem indicassent locum, ubi eam commemorari aut necessarium, aut saltem aptum fuisset. Accedit, quod Homero Oedipi excaecationem non fuisse notam nullis argumentis evinci potest et Hellanicum, qui Aeschylō aetate proximus erat, illius mali mentionem fecisse scholiastae ad Euripidis Phoenissas (v. 61.) testimonio pro certe habendum est (cf. Welcker, *Ἐπιφ.* *Ἐκκλ.* II, p. 334.). Sed iam ad id, unde degressi sumus, revertamur. Exstiterunt, qui, quamquam probabant scripturam *ἐπικότους τροφᾶς*, tamen poetae verbis subesse negarent eum sensum, quem Schuetzio praeunte Hermannus voluit. Ac primum quidem Schneidewinus in commentatione illa summa laude digna (*Phil.* III.) *ἀράς ἐπικότους τροφᾶς* explicat. „*Ἐπίθε, die ihre Erziehung mit Groll trafen*“, fortasse adductus in eam interpretationem scholiastae Byzantini adnotatione hac: *ἠράσατο γὰρ αὐτοῖς, πάντα τὸν αἰῶνα ἐκ παιδὸς μάχαις διαγαγεῖν, ἔπειθ' ὕστερον καὶ σιδηρῶ τὴν βασιλείαν διαλαχεῖν*. Cui interpretationi negari quidem nullo pacto potest poetae verba non mediocriter favere; nam coniunctione *καὶ*, pro qua Heimsoethius (*Die indirecte Ueberlieferung d. Aesch.* p. 62.) ex deterioribus codicibus Lipsiensi et Veneto B ἦ ponere maluit, indicatum videri potest, fuisse dirarum duas quasi partes, quarum altera verbis *ἀράς ἐπικότους τροφᾶς* contineatur, altera verbis *σφῆ σιδαρονόμῳ κ. τ. λ.* Neque vero propterea in eandem inclino sententiam, siquidem illud *καὶ* interpretationi a Schuetzio (cf. *Aesch.* ed. Schuetz. I, 341) et Hermanno propositae minime adversatur. Praeterea vix quisquam concedet Schneidewino istam adiectivi *ἐπικός* significationem, quam qui exemplis confirmare velit, operam lusurum puto. Tum in eo loco, ad quem Schneidewinus nos revocat, (v. 645 sq.) vocem *τροφαί* non de educatione in universum, sed de certa vitae parte, de pueritia, esse usurpatam facile intelligitur.

Sed dixerit fortasse quispiam: Quid multa de re certissima? Nonne luculento antiquitatis testimonio comprobatum est, quid poeta voluerit verbis illis *ἐφῆκεν ἀράς ἐπικότους τροφᾶς*? Scholiasta enim ad Oedipum Coloneum (v. 1375.) postquam ex Thebaide, ut Hermannus suspicatur, Antimachi, versus attulit, in quibus Oedipus propter coxam pro humero missam exsecratus esse dicitur filios, addit: *τὰ δὲ παραλήσια τῶ ἐποποιῶ καὶ Αἰσχύλῳ ἐν τοῖς Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις*. Haec quum aperte spectent ad versum 766, ubi de Oedipo dictum est: *τέκνοις ἐφῆκεν ἀράς ἐπικότους τροφᾶς*, Heathius ea verba in eandem cum scholiasta sententiam interpretatus est scribens *ἐπικός τροφᾶς* „ira in census propter victum, quem illi praebebant filii“ Hunc secuti sunt Sterkius (*de histor. Labd.* p. 100.) et Welckerus (*Allg. Schulzeit.* 1832. p. 167. *Trif.* p. 358. *Ἐπιφ.* *Ἐκκλ.* II. p. 335.) Verum tamen ego cum Hermanno ita statuo, scholion istud non videri antiqui grammatici, cui tota trilogia praesto fuerit, sed Triclinii esse; nam ut omittam, quae vir summus in eam sententiam disputavit, si ea, quae in illo scholio reperiuntur, ab antiquiore quodam grammatico profecta essent, miror, eum, quum similem ex aliqua Aeschylō fabula narrationem afferre vellet, non ad Oedipum, in qua illa „*παραλήσια*“ explicatius tractata fuisse deberent, quam ad Septem adversus Thebas nos revocare maluisse. Quare non est dubitandum, quin scholiasta ille, cui Aeschylō Oedipum inspicere non magis licuit quam nobis, oblata opportunitate, suam de poetae loco interpretationem venditare ac fragmento epico firmare voluerit. Tum velim memineris, prorsus incredibile esse, poetam, qui Eteoclem tot tantisque virtutibus commendavit, adeo secum pugnare, ut eundem virum tam impie indigneque patrem tractasse fingat. Denique si imprecationum causa et origo ab ista filiorum impietate ducta fuisset, Aeschylus mea quidem sententia clarior eam rem disertiusque exponere debuisset. Restat, ut pauca dicam de Krusii interpretatione, quae non multum discrepat ab ea, quam Heathius scholiastae auctoritate defendit. Is quidem hunc locum ita explicat: ut *τροφή* non modo sit „victus“, sed etiam significet, „quo more pactoque Oedipus a filiis sit habitus et tractatus“; cogitat enim de Oedipo in carcerem coniecto vel saltem e publico conspectu remoto. Verum,

opinor, nulla vi nullisque tormentis coges poetae verba, ut eum sensum fundant: „Nütze voll Groß über die Behandlung“, neque debuit afferre vir doctus ex Sophoclis Oedipo Coloneo tria alienissima exempla, quibus magnopere vereor ut evincat, vocem „τροφή“ a graecis usurpatam esse pro eo, quod nostro sermone dicimus: „Behandlung.“ Quae vero praeterea Krusius protulit eo consilio, ut propter filiorum impietatem diras immissas esse ostenderet, mihi quidem non satis probantur, quum in Euripidem ea potius, quam in Aeschylum cadere videantur. Jam postquam praeter Hermanni interpretationem ceteras quoque verborum ἀράς ἐπικότους τροφῆς explicationes enumeravi atque diiudicavi, placet paucis refutare tria argumenta, quae a viris doctis ex Septem fabulae oeconomia potissimum contra Hermanni sententiam prolata sunt. Quae quum iam supra, suo quodque loco, proponi potuissent, tamen nunc demum commemoro, quo facilius intelligatur, quam vim habeant, si quasi uno in conspectu posita erunt. Fuerunt, qui prorsus incredibile esse dicerent, filiis insontibus propter solum nefandae originis crimen tantas iniungi calamitates; etiam filias, quae itidem ex incestu prognatae essent, execrandas fuisse; denique nullam omnino intercedere rationem inter diras illas et Oedipi fata filiorumque ortum. At hoc primum tenendum est, Oedipi diras, etsi insontibus filiis immitterentur, nullam tamen vim nullumque eventum habituras fuisse, nisi postea uterque fratrum sua ipsius culpa, Eteocles, quum pugnam a fratre oblatam non recusaret, Polynices, quum patri debitam negaret reverentiam, fatis imminentibus quasi viam aperisset. In Aeschyli enim fabulis neque omnia gubernantur caeci fati necessitate quadam, neque hominibus libertas agendi nullis finibus circumscripta concessa est. Ἄτη quum vigeat, quoad delicta maiorum piaculis compensata sint, posteri eorum, qui aliquid deliquerunt, cavere debent, ne quam culpam admittant, quia tum demum perniciēs per longam annorum seriem quasi coacervata repente in eos irruit (cf. Engeri praef. ad Aesch. Agam.; Naegelsbach, de religionibus Aesch. Orest.). Quod vero alterum mihi opponitur, filias non fuisse devotas, libenter concedo ipsius poetae verba dictaque (v. 766 sq.) obstare, quominus de filiarum imprecatione possit cogitari, neque vero ea re adducor, ut credam filiorum impietate iracundi regis diras esse excitatas; nam recte docuerunt Schmidtus et Susemihlius, in malorum serie explicanda filias a poeta plane potuisse negligi, si quidem soli filii Labdacidarum fatis fuissent obnoxii; quod nisi ita se haberet, parum apte significari tot Septem fabulae locis, Labdacidarum domum post mutuam fratrum caedem eversam esse—vivi etiam filiiabus. Denique vix opus est, ut respondeam ad id, quod tertio loco contra Hermanni interpretationem dictum est, nullam intercedere rationem inter Oedipi diras et filiorum nefandam originem. Nonne consentaneum est Oedipum, qui, ne ipse cerneret filios misere prognatos, sibi oculos effodisset, (v. 765 κνροστέκνων ὀμμάτων ἐπλάγχθη.) nihil adeo optasse, quam ut ii, quibus paterni delicti quasi nota quaedam iniusta esset, novo scelere mutuae caedis quam celerrime ex hominum oculis removerentur? Quae quum ita sint, videtur acquiescendum in Hermanni interpretatione, ex qua sequitur Oedipum statim post cognita piacula devovisse filios propter nefandam eorum originem, non propter iniurias ipsi antea illatas.—

Jam vero postquam hanc de dirarum causa quaestionem explicuimus, altera nobis proponitur, quae non minorem habet difficultatem. Quaeritur enim, utrum filiis infantibus, an iam adultis imprecationes immissae fuerint. Alterum, filios etiam infantibus fuisse, Schneidewinus ex voce ποτέ concludi posse putavit; sed vereor, ne praepropere iudicaverit vir ceteroquin acutissimus; nam ποτέ nihil aliud significat quam „aliquando“ neque minus de adultis, quam de infantibus filiis poterat usurpari. Ceterum mihi quidem particula illa propter sequens ἔτι ita adiuncta esse videtur, ut chorus a praesenti rerum statu respiciens significare voluerit, nunc (ἔτι) ea ad exitum pervenisse, quae Oedipus vaticinatus sit futura (ποτέ). Inde apparet, chorum utique, sive magno, sive parvo temporis spatio interiecto sic loqui potuisse. Sed de ea re recte iudicari nequit, nisi constat, quid de temporum ratione secundae fabulae statuendum sit.—

num Schneidewinus vere docuit, propter quatuor liberos ex Jocasta sublato (nam vehementer fallunt, qui ipsius poetae dictorum (v. 736, 901 sq. 1015) obliiti ex Euryganea eos procreatos fuisse voluerunt, immo Aeschylī demum tragoediis factum est, ut narratio ista de filiis incestu prognatis in vulgus emanaret) inter prioris et secundae tragoediae actionem aliquot annos intercedere debuisse. Neque vero in eo subsistendum est; namque universa trilogiae ratio postulare videtur, ut maiore temporis intervallo ea, quae in priore et quae in media fabula acta erant, seiuncta fuisse censeamus. Facile intelligitur, filios iam adultos fuisse oportere eo tempore, quo Oedipus piacula sua cognoverit. Nam si infantibus illis prima pars mediae fabulae ageretur, intra ipsam tragoediae actionem eos adolevisse sumendum esset, quod ut cuiquam probetur, magnopere vereor, nisi forte ab infantia fratrum usque ad Argivorum adventum fabulam apte produci posse ponis. Quodsi in secunda tragoedia non modo de subita atque inopinata Oedipi calamitate expositum erat, sed etiam de fratrum rixa, de Eteoclis regno et Polynicis exsilio, quod ut statuamus tertia fabula flagitat, sequitur, quo tempore media agi coepta sit, jam adolevisse fratres eamque ob causam Oedipi nuptias in fine prioris esse ponendas. Itaque quum illorum pueritia inter „Laium“ et „Oedipum“ posita fuerit, non potuit fieri, ut dirae iis immitterentur infantibus. Quod vero argumentum Schneidewinus ex poetae verbis *παλαίφατοι ἄρσεί*, (v. 747) quae a quibusdam male ad Pelopis execrationes relata sunt, petere voluit, nullam habet probandi vim, quum ab initio secundae fabulae usque ad exitum tertiae tantum temporis praeteriisse cogitandum sit, ut chorus recte de diris multo ante dictis (*παλαίφατος*) loqui posset. Jam vero quaeritur, quam Oedipi conditionem fuisse censeamus post comperta scelera filiosque devotos. Nihil est in poetae verbis dictisque, cur putemus Oedipum vi et iniuria regno esse orbatum, immo vero cum Schneidewino suspicari licet, Aeschylum, qui plurima argumenta tragoediarum suarum, quas ipse *μικρά τινα τεμάχη ἐκ τῶν μεγάλων Ὀμήρων δείπνων* nominasse dicitur (cf. Athen. Deipn. 347 E), ex Homeri carminibus hauserit, in hac quoque re divini illius poetae ingressum esse vestigiis. Is quidem Oedipum etiam post scelera cognita Thebis regnantem facit his verbis: (Od. XI, 274 sq.)

*Ἄλλ' ὁ μὲν ἐν Θήβῃ πολυηράτῳ ἄλγεα πάσχω
Καδμείων ἤρασσε κ. τ. λ.*

Neque vero diu in hoc regno potuit manere, quum trilogiae ratio postularet, ne actio secundae fabulae iusto longius produceretur.

Postremo si quaeris, qua ratione aut quo tempore discordiae istae fratrum ortae sint, utrum Oedipo etiam tum vivo ac regnante an post patris demum mortem, de ea re iam nihil ad certum poterit perducī. Verum tamen placet ea exponere, quae mihi si non vera, at certe vero proxima esse videntur. Non potest esse dubium ei, qui Septem ad Thebas fabulam diligentius perlegerit, quin ex variis narrationibus, quae de fratrum dissidio apud tragicos aut reliquos scriptores exstant, nulla Aeschylī tragoediae magis conveniat, quam antiquior illa, quae apud Pausaniam exhibetur hisce verbis (IX, 5. 6.):

Πολυνείκης περιόντος μὲν καὶ ἄρχοντος Οἰδίποδος ὑπεξήλθεν ἐκ Θηβῶν δέει μὴ τελεσθεῖεν ἐπὶ σφίσιν αἱ κατὰραι τοῦ πατρός· ἀφικόμενος δὲ ἐς Ἄργος καὶ θνητέρα Ἀδράστον λαβὼν κατήλθεν ἐς Θήβας μεταπεμπτός ὑπὸ Ἐτεοκλέους μετὰ τελευτὴν Οἰδίποδος· κατελθὼν δὲ ἐς διαφορὰν προήχθη τῷ Ἐτεοκλεί καὶ οὕτω τὸ δεύτερον ἐφυγεν.

Quae Pausaniae dicta quantum ab iis discrepent, quae aut Sophocles aut Euripides eadem de re tradiderunt, non est quod pluribus persequar; hoc unum satis est monuisse, aliud Aeschylō, aliud Sophocli aut Euripidi consilium fuisse in componendis eiusdem argumenti fabulis diverseque ob eam causam anti-quam narrationem ab iis esse mutatam. Quorum Sophocles, qui summam Atheniensium humanitatem ita maxime probare conaretur, ut Oedipum, quem omnes fere a finibus propulsarant, ab iis benigne hospitio receptum perhiberet, eum Thebis eiectum esse finxit et filiorum sortem ita conformavit, ut Polynicem re-

gno privaret Eteocles „ὁ νεάζων καὶ χρόνον μείων γεγώς“ fortasse hac causa adductus, ut in Antigone fabula illius fortuna iustam spectantium movere posset commiserationem. Euripides vero in Phoenissis rem ita mutavit, ut Polynicem ab Eteocle violata, quam fratres de regno inter se fecerant, pactione ex urbe eiec- tum, Oedipum autem post stragem demum fraternam exsilio affectum esse poneret. Jam si quaerimus, quid ex poetae verbis elicere possimus, quo comprobetur illam narrationem, quam ex Pausania attulimus, Aeschylus in adumbranda postrema Oedipi parte esse observatam, primum in hac re poetam cum illo scriptore consentire apparet, quod apud eum quoque Oedipus Thebis mortuus esse cogitandus est. Nullus enim in Septem tragoedia locus est, unde efficias, Oedipum etiamtum superstitem fuisse. Quam ob rem minime dubito, quin illud *ποινία τ' Οιδίπουν σκιά* (v. 955.) a scholiasta male intellectum de Oedipo mortuo interpretandum sit, praesertim quum duo alii loci, alter, (v. 889.) in quo *τάφων πατρῶων λαχαί* commemorantur, alter, (v. 988) ubi *Jsmena* Antigonaе sorori dicit se Eteoclem et Polynicem ut *πῆμα πατρὶ πάρενον* i. e. *παρὰ τὴν εὐνήν τοῦ πατρὸς* sepulturam esse, ad caeci regis obitum pertinere videantur. — Eadem Pausaniae dicta testantur, Polynicem Oedipo regnante Thebas reliquisse, veritum, ne exitum haberent patris devotiones. Videamus, quomodo haec cum iis, quae ab Aeschylus exposita sunt, congruant. Dirae illae multo ante filiis insontibus propter nefandam eorum originem immissae tum demum evadere poterant, quum uterque vel alter fratrum culpa aliqua admissa *Ἄτη* ex occulto insidiant quasi viam aditumque patefecisset. Quod ne cui pugnare videatur cum iis, quae supra disputavi de execrationibus Oedipi, hoc etiam atque etiam premen- dum est, diras illas non esse repetendas ex iniuriis patri antea illatis, immo culpam demum aliquam a Polynice admissam efficere potuisse, ut mala jam pridem praedicta evenirent. Nam, ut Aeschylus ipse dicit in fragmento Niobae apud Platonem, (de rep. II, p. 380.)

θεὸς μὲν αἰτίαν φέει βρότοις
ὅταν κακῶσαι δῶμα παμπήδην θέλη.

Polynicem igitur tanquam idoneum fatorum ministrum, *Ἐρινός κλητήρα* (cf. Ritschelium ad v. 555; Zahn's *Zahrbücher* 1858, 11.), Labdacidarum *ἀλάστορ* nunquam cessans pellexit, ut caeco patri inferret eam ignominiam, quam in antiquissimo carmine, Thebaide cyclica, descriptam fuisse Athenaei (Deipn. XI, p. 465. E) et Eustathii (ad Oed. XI. 279.) testimoniis compertum habemus. Fragmentum, quod est apud Athenaeum, vulgo sic editur ex Hermanni emendatione.

αὐτὰρ ὁ διογενὴς ἦρος ξανθὸς Πολυνείκης
πρῶτα μὲν Οἰδιπόδῃ καλὴν παρέθηκε τράπεζαν,
ἀργυρέην, Κάδμοιο θεόφρονος, αὐτὰρ ἔπειτα
χρῦσειον ἐμπλησεν καλὸν δέπας ἠδέος οἴνου.
αὐτὰρ ὃ γ' ὡς φράσθη παρακείμενα πατρὸς ἐοῖο
τιμήντα γέρα, μέγα οἱ καιὸν ἔμπεσε θυμῷ,
αἶψα δὲ παισὶν ἐοῖσι μετ' ἀμφοτέροισιν ἐπαράς
ἀργαλέας ἤρᾱτο, θεὸν δ' οὐ λάνθαν' Ἐρινόν.
ὡς οὐδ' οἱ πατρώϊ' ἦν φιλότῃτι δάσαιντο,
ἀμφοτέροισι δ' αἰεὶ τελέθει πόλεμοί τε μάχαι τε.

Ex his patet Oedipum, quum Polynices patri ea, quae a maioribus acceperat, insignia et dona votiva inverecunde et quasi per ludibrium proponeret, eo deductum esse indignationis atque irae, ut antiquas illas execrationes denuo filiis immitteret. Nam quum alter fratrum, Eteocles, etsi eo usque nulla in re peccasset, tamen simul cum Polynice devoveretur, fieri non potest, quin novissimae hae dirae spectent ad

vetustiores illas ἀρχαῖς ἐπιπότους τροφᾶς, quibus uterque fratrum ad exitium erat destinatus. Quae praeterea apud Pausaniam de Polynicis profectio ante patris mortem deque discordiarum origine et exitu traduntur, non modo simplici narrationis candore certa vetustatis indicia prae se ferunt, verum etiam in universam tertiae tragoediae dispositionem optime quadrare videntur. Jam supra diximus, Polnicem ab Aeschylo describi hominem scelestum atque discidorum auctorem. Neque enim ignotum esse arbitror, poetam quum aliorum saepe nominum omnibus usum, tum imprimis in Septem fabula Polynicis nomen ita interpretatum esse, ut eum πολλῶν νεκρῶν ἐπώνυμον diceret eamque interpretationem ei adeo placuisse, ut pluribus eius tragoediae locis proponeretur (vss. 559, 639, 660, 810.), qua in re et hoc observandum est, illud cognomen ei non modo a fratre tribui, sed etiam a choro. Neque minus acerbe de ipsius socii moribus iudicare videmus Amphiarum, qui vehementissime ei exprobrat piaculum, quod oppugnanda patria urbe contraxisset. (v. 561.) Nuntius denique, qui (v. 612 sq.) Polynicis pugnam inituri verba regi repetit, illum ait furore correptum nihil antiquius habere, quam ut turribus conscensis frater cum fratre congregiatur et, sive ceciderit, eum simul occidat, sive superstes fuerit, eum, a quo tanta ignominia affectus et expulsus sit, eodem modo exsilio multet. Quae vero sola aliquam excusationem Polynicis habere possint Antigoniae verba v. 1033: πᾶθὼν κακῶς κάκωσιν ἀντημείβετο, propterea minoris momenti esse videntur, quod soror fratri sepultura carenti, quomocumque fieri potest, patrocinari studet. Ex his, quae disputavi, apparet, in Polnicem conferri omnem discordiarum invidiam, quae eo magis elucet, quo minor videtur Eteoclis culpa esse, qui praeter impiam vocem, in quam nimio animi ardore abripitur in v. 206., hac una re peccat—scilicet gravissima, in qua totius Septem fabulae cardo vertatur, quod fratri germano ad certamen singulare provocanti pugnam non detrectat. Haec fere sunt, quae de initio belli inter fratres orti cum aliqua probabilitate statui possunt: nam ii, qui ex septimo orationum pari (v. 612—633; 633—657.) verbis Pausaniae: κατελθὼν δὲ ἐς διαφορὰν προήχθη τῷ Ἐτεοκλεῖ κ. τ. λ. aliquid lucis afferri arbitrati sunt, non cogitarunt, quum fratrum suam uterque tueatur causam, neque ex Polynicis dictis, quae a nuntio referuntur, neque ex Eteoclis oratione quidquam certi de vera discidorum origine posse erui. Dicat fortasse quispiam, in vv. 618, 619. haud obscure esse indicatum, Polnicem vi et iniuria a fratre regno exclusum e patria cecidisse. Verum quid impedit, quominus eam pactionem, qua Hellanico teste (schol. ad Eur. Phoen. 71.) alter fratrum thesauros, alter regnum acciperet, etiam in Aeschyli Oedipo locum habuisse ponamus? Nonne, si hoc mihi concesseris, merito atque optimo iure Eteocles Polnicem, qui thesauris per pactionem traditis nihilominus Argis reversus regni societatem affectaret, ex urbe finibusque Thebanis exterminavit? Restat, ut paucis attingamus testimonium de argumento Oedipi extrinsecus petito, adnotationem dico Eustratii cuiusdam, qui ad Aristotelis Ethicam Nicomacheam III. 2. docet, in pluribus Aeschyli fabulis, quarum in numero „Oedipus“ referenda sit, mystica quaedam fuisse evulgata. Quae res iusto plus exercuit viros doctos, G. Hermannum (opusc. II. p. 164.), Lobeckium (Aglaoph. p. 77.), Od. Muellerum (Eum. p. 173.), Klausenium (theol. p. 95.). Nam qui caute ponderaverit, qua ratione interpres iste summi Stagiritae sententiam suam pronuntiet, non dubitabit, quin ille, quum nihil certi de ea re compertum habeat, memoriter tantum eas enumeret fabulas, in quibus mysticorum quorundam mentio fieri potuisse ipsi videatur. Sed faciamus, poetam in hac tragoedia sicut in aliis res mysticas attigisse, tamen prorsus supervacaneum est quaerere, qua ratione et quibus sentiis Aeschylus τὰ ἀπόφῃτα temere in vulgus extulerit; nam quum de tota Oedipi fabulae conformatione deque ratione, qua singulae eius partes adumbratae fuerint, coniecturis tantum possit iudicari, operam lusurum puto, si quis ex paucis quibusdam fragmentis, quae quo referenda sint, valde ambigitur, vel sola divinandi vi vestigia illa sacrorum evulgatorum conetur indagare. Quae vero ante didascaliam inventam a Welckero (de tril. p. 371) et Klausenio (Theol. p. 96.) excogitata sunt, vix opus est, ut refutemus, si quidem ea omnia una cum istis de trilogia Thebana commentis coniderunt.

Reliquum est mihi, ut, quid de argumento Sphingis satyricae, quam simul cum Laio, Oedipo et Septem ad Thebas actam fuisse e didascalia cognoscitur, ex ipsius poetae verbis dictisque effici possit, circumspeciam. Loci, in quibus Sphingis in Septem adversus Thebas fabula mentio fit, sunt hi: Jn vv. 522 sq.:

*Σφίγγ' ὀμόσιτον προσημεμηχανημένην
γύμφοις ἐνώμα κ. τ. λ.*

Parthenopaeus eius monstri imaginem in clypeo affixam gestasse narratur. Tum in secundo cantico (vv. 757, 758.) chorus summis effert laudibus Oedipum

*τὸν ἀρπαξάνδραν
κῆδ' ἀφελόντα χόρας.*

Accedit, quod in Aristophanis Ranis (v. 1320.) ipsius poetae verbis ex fabula satyrica, ut testatur scholiasta, petitis Sphinx vocatur:

δυσμεριᾶν (ex emend. Bergkii) πρότανις κόων.

E quibus quid de dramatis illius ratione disci possit, equidem non video, ac ne fragmenta quidem, quae exstant, aliaque veterum testimonia ad cognoscendam fabulae summam ac dispositionem quicquam conferunt; hoc unum docemur fragmento, quod Athenaeus (Deipn. XV p. 674.) ex Aeschylis Sphinge affert, Oedipo propter aenigma solutum honoris coronam fuisse delatam. Aliud praesidium ad investigandum eius fabulae argumentum cuiusdam oblatus esse videatur in duobus vasis Neapolitanis, quorum picturas ad Sphingem pertinentes Otto Jahnius (Archäol. Beitr. p. 118.) accuratius descripsit. Eorum in altero conspici narrat iuvenem corona redimitum stipatumque choro satyrorum, qui maximi stuporis speciem prae se ferentes quoquo versus in virgulta diffugiant; ab altera eiusdem vasis parte Sphingem cerni sedentem capite radiis circumdato nudumque iuvenem monstri aviditatem aegre effugientem, qui dextram tollat ad lapidem iniiciendum; pone eum alium stare iuvenem chlamyde et petaso indutum itemque coronatum vultu in re, quae agitur, defixo. Quod alterum vas explicat O. Jahnius, habet et ipsum Sphingem sedentem, ante eam satyrum serto redimitum fidibus canentem, dum alius alacri saltu corpus tollere videtur. Quae omnia quis neget ad similitudinem scenae alicuius illius dramatis efficta esse potuisse? Sed qui ex his certi quid erui posse confidat, ipse Sphingi bonus fuerit interpres. Quam ob rem nescire nos, quomodo poeta fabulam concinnaverit, fateri, quam vanis hariolationibus indulgere maluimus.

